



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CLXV. Ioannis Papae VIII. Ad Livdtefridvm Comitem, Eivsqve  
Conivgem. Excommunicat eos, quia monialem e monasterio rapuerant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

AD LIVDTEFRIDVM COMITEM, EIVSQVE  
CONIVGEM.

Excommunicat eos, quia monialem e monasterio  
rapuerant.

*Liudtefrido comiti & coniugi suæ.*

**Q**VIA contra diuina, & legum præcepta temerarie age-  
re non erubuitis, ita vt calcato Dei timore Garelin-  
dam sacro velamine tectam, & in monasterio Angelber-  
gæ dilectæ filia nostræ imperatricis Augustæ, sub profes-  
sione regulari diutissime conuersatam, quod Placentiæ  
situm est, abstrahere fraudulentissima suasionem ausi fueritis;  
tam diu te, tuamque coniugem auctoritate sancti Spi-  
ritus Domini nostri a corpore & sanguine Domini nostri  
Iesu Christi separamus, & a consortio Christianitatis, do-  
nec prædictam feminam Garelindam, loco vnde degan-  
nastis, restituatis. Quod si hoc neglexeritis, anathematis  
vos vinculis innodamus. Data vt supra.

EPISTOLA CLXVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD VVIBERTVM EPISCOPVM.

Arguit eum, quod bis vocatus ad se venire neglexerit,  
præcipit vt veniat obiectis responsurus.

*Reuerendissimo & sanctissimo Vviberto venerabili episcopo.*

**I**AM enim sanctitati tuæ bis misimus vt ad nos venires,  
sed ignoramus qua temeritate non obedias: itemque  
mittimus, vt omnibus tuis posthabitis feriis, ad nos præ-  
sentialiter acceleres: quoniam multi supra te reclamant,  
maxime hic senex, qui ob hoc iam Romam venit pro suo  
monasterio. Ceterum sapias, si venire distuleris, te ex-  
communicandum, si perseueraris in tua \* etiam a commu-  
nitione alienandum. Data vt supra.

\* forte  
desse  
obstina-  
tionem.